



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**


Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Cap. VI. De obligotionibus iustitiæ, quoad restitutionem in particulari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850



CAPVT VI.

De obligationibus iustitia, quoad restitutionem in particulari.

 SECTIO I.

De Restitutione ob damna spiritualia.

CONCLUSIO VNICA.

Qui proximum læsit in bonis spiritualibus, interdum tenetur ex iustitia aliquid præstare.) Declaratur; Bona spiritualia vt hîc sumuntur, sunt duplicis generis, alia supernaturalia, vt gratia sanctificans quæ per peccatum amittitur, & virtutes supernaturales ei annexæ; alia naturalia, vt scientiæ, & artes.

Primò igitur qui vi, vel fraude aliquem ad peccatum induxit, videtur teneri ex iustitia, non modo vim, vel fraudem amouere, sed etiam curare quantum potest, vt seductus emendetur: quia cum ille per iniuriam huiusmodi dam-

DE IUSTITIA. CAP. VI. 129

num proximo intulerit, tenetur ex iustitia illud resarcire, modo possibili.

Secundò, qui suasionibus, exemplo, modisque similibus sine vi, & fraude aliquem induxit ad peccatum, non tenetur ex iustitia curare ut corrigatur quia volenti non fit iniuria. Ad hoc tamen tenetur ex charitate, ut à fortiori ex dictis lib. 3. cap. 10. intelligi potest.

Ex quibus collige, quid dicendum sit de eo, qui alium ab ingressu Religionis: si enim suasionibus tantum illum auertit, etsi peccet, sine graui causa auertendo, non tenetur restituere damnum inde secutum: si verò vi, vel fraude illum retraxit, ad hoc tenetur ex iustitia, propter damnum quod Religioni intulit, eam iniuste priuando spe commodi temporalis, quod ex illius ingressu perceptura erat. Tenetur etiam satisfacere pro damno, quod ingressuro intulit, eum per iniuriam auertendo à pio proposito, sequendi consilia euangelica, eique ingressum suadere. Hæc porro doctrina facile extendi, & applicari potest ad eum, qui Nouitium, aut Professum abducit à Religione.

Tertiò, qui quoad bona animi naturalia, alterum iniuste læsit priuando me-

moria, vel aliquo sensu, &c. tenetur non modo veniam petere pro iniuria illata, sed etiam damna inde secuta restaurare; ut si laesus non possit amplius exercere artem qua sibi ad victum necessaria comparabat. Imò ex probabiliore sententia, necesse est ipsam rationis, aut sensuum priuationem, modo possibili compensare; esto ea sint bona superioris ordinis: quia per veram iniuriam ablata sunt.

Quæres, ad quid teneatur qui proximum læsit in bonis, quæ spiritualibus annexa sunt, cuiusmodi maximè sunt beneficia Ecclesiastica. Respondeo 1. eum qui alium habentem ius ad beneficium, iniuste impedit ab illius consecutione, teneri ad restitutionem, iuxta talis iuris æstimationem, arbitrio viri prudentis factam. Quia cum eo iure supposito, beneficium illi debeatur ex iustitia, iniuste impediens ne illud consequatur, facit ei iniuriam, quam ex æquitate iustitiæ tenetur compensare.

Respondeo 2 quando beneficium datur in concursu, digniorem ex lege habere ius ad illud, adeoque eum qui curat, ut sibi notabiliter minùs digno conferatur, teneri ad restitutionem erga magis dignum, arbitrio viri pru-

dentis. Si tamen beneficium non datur in concursu, ille qui dignus est, non tenetur ad restitutionem, etsi curet sibi illud conseruari; quia dignior non habet ius strictum ad illud, sed latum & improprium, in eo consistens, quod optimè sit dispositus ad beneficium illud dignè administrandum, si ei conferatur.

Respondeo 3. eligentem indignum, debere restituere Ecclesiæ, iuxta prudentem æstimationem damni illati, Eligentem verò dignum in concursu, relicto digniori, debere huic restituere, iuxta antedicta; non autem si extra oppositionem eligat. Si tamen sint plures electores, & maior pars concurrat ad electionem indigni, potest minor pars aliam ad se trahere, ad eligendum dignum; tuncque illi tenentur ad restitutionem respectu dignioris, non autem isti, utpote qui non intenderunt digniorem excludere, sed indignum. Porro quod de electore dicimus, ad ipsum collatorem beneficij, ob rationis paritatem, æquè pertinet.

SECTIO II.

*De restitutione ob damna corporis,
Fama, Fortune.*

CONCLUSIO I.

Qui proximum iniuste læsit in bonis corporis, occidendo, aut mutilando, aliquo modo restituere tenetur.) Priusquam hoc declaretur, querendum est, quandoam homicidium sit licitum, vel illicitum. S. Thomas 2.2. quæst. 64. docet 1. licitum esse plantas, & animalia vita priuare ad vsum hominum; eò quòd plantæ communiter sunt propter animalia, & omnia animalia propter hominem. 2. licitum esse occidere malefactores, vt commune bonum conseruetur; sicut laudabiliter abscinditur membrum putridum, ne reliquum corpus corumpat. 3. auctoritatem occidendi malefactores, non cõpetere personis priuatis; sed tantum Principibus, & Iudicibus, quibus cura boni communis, ad quod occisio malefactorum tendit, cõmissa est. 4. non licere clericis, malefactores occidere, tum quia offerunt sacrificium altaris, representas passionẽ

DE IUSTITIA. CAP. VI. 133
Christi occisi, qui cum percuteretur, non
repercutiebat; tum quia clericis com-
mittitur ministerium nouæ legis, in qua
non determinatur pœna occisionis, vel
mutilationis corporalis. 5. non licere
seipsum occidere, tum quia hoc est con-
tra charitatem, quâ quilibet debet seip-
sum diligere; tum quia se occidens, fa-
cit iniuriam communitati cuius est pars;
tum quia cum homo sit Dei, qui seip-
sum vita priuat, in Deum peccat; sicut
qui alienum seruum interficit, peccat in
dominum, cuius seruus est. Vnde nemi-
ni licet se occidere, vt transeat ad vitam
fœliciores, vel vt huius vitæ miseras
vitet, vel propter peccatum commissum,
vel propter timorem consentiendi in
peccatum. Et similiter non licet fœ-
minæ sibi mortem inferre, ne ab
alio corrumpatur. 6. nullo modo licere
occidere innocentes, scilicet per se &
directè; quia vita illorum est conserua-
tiua, & promotiua boni communis: at-
que adeò iudicem, si scit innocentem
falsò accusari, debere diligentius exami-
nare testes, vt inueniat occasionem eum
liberandi. Et si id non potest, debere
eum superiori relinquere iudicandum.
Quòd si neque hoc possit non peccare
secundum allegata sententiam ferendo;

quia non ipse occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Ministrum autem non peccare obediendo, nisi præceptum manifestam iniustitiam contineat. 7. Illicitam esse defensionem, si quis ad defendendam propriam vitam, utatur maiori violentia quam oporteat: licitam verò, si moderatè violentiam repellat; quia secundum iura, vim vi repellere licet, cum moderam ne inculpatae tutelæ. Irregularitatem tamen consequi actam homicidij, etsi hic sit à peccato immunis, ut cum Iudex aliquem iustè condemnat ad mortem. 8. eum qui dat operam rei illicitæ, aut qui dans operam rei licitæ, non adhibet debitam diligentiam, non euadere reatum homicidij si ex eius opere mors hominis sequatur. Unde infertur, eum esse reum homicidij, qui prægnantem percutit, si infans quem in utero gestat moriatur; quia dat operam rei illicitæ. Quibus positis.

Dico I. eum qui priuata autoritate proximum iniustè occidit, teneri tum ad expensas quæ fiunt in curatione vulneris, ad eas quæ fiunt in funere, si sunt maiores quàm alioqui fuissent, ut dum quis extra patriam occisus est. Teneri etiam tum de damnis temporalibus, quæ ex tali occisione, spectata spe lucri, oriun-

DE IVSTITIA. CAP. VI. 135
tur; vt si occisus aliqua arte, vel officio
suos alebat: tum probabiliter de ipso
damno vitæ temporalis, quod iuxta ar-
bitrium viri prudentis, modo possibili
compensari debet, vt ex S. Doctore 2.2.
quæst. 62. art. 2. non obscure colligitur.
Et sanè si pro vita equi compensatio ali-
qua facienda est, quidni pro vita ho-
minis?

Cæterùm restitutio facienda est pro-
ximis, seu necessariis hæredibus, nempe
patri, si filius carens prole occisus est;
filio, si pater; vxori, si maritus, & vice
versa. Non autem iis qui succederent ab
intestato, quales sunt fratres, nepotes, &c.
Et multò minùs extraneis, si hæredes
instituti sunt. Quia isti non reputantur
vna persona cum occiso, adeoque dam-
num non censetur illatum in re ipsorum.

Dico 2. prouocantes se ad duellum,
non teneri ad restitutionem, si alter al-
terum occidat, quia saltem tacitè cedunt
iuri suo. Et idem dic de eo, qui cum mo-
deramine inculpatæ tutelæ, occidit inua-
sorem; quia non est iniusta causa damni.
Quod verum est, etsi inuasus contume-
liis, aliisque modis causam dederit inua-
sioni; quia nihilominus ex iure ipso na-
turæ, propriam vitam defendere potest.
Vnde non tenetur ad restitutionem ad alter,

qui cum debito moderamine, maritum adulteræ, à quo inuaditur, occidit. Potest etiam hoc extendi ad eum, qui casu aliquem occidit; ille enim non peccat, nec propriè est homicida, cum nolit mortem alterius, siue in se, siue in causa sua, adeoque non obligatur ad restitutionem. Nec refert quod ante dictum est, de eo qui grauidam percutit: illud enim debet intelligi de eo, qui scit esse grauidam, & ex percussione periculum proli imminere.

Dico 3. iudicem qui aliquem condemnat ad mortem, teneri ad restitutionem damnorum quæ inde sequuntur, tû si non sibi subditum, vel in ea causa exèptum, condemnet; tum si sibi subditum, aliàs supplicio dignum, non seruato ordine iuris condemnet; nempe, aut procedendo ex priuata scientia, aut cognitionem criminis extorquendo per iniuriam, &c. sic enim est iniuste restituere. Excipe, nisi superesset alia via, qua posset iudex reum legitime & iuridice damnare; quia sic iniustitia non esset commissa in re ipsa, sed in modo dumtaxat.

Dico 4. testem qui scienter, vel ex ignorantia vincibili falsum testimonium dixit, non modo teneri ad restitutionem damni, quod secutum est, sed etiam ad

retractationem sui testimonij, si talis retractatio sit profutura. Vnde quia in pari damno, potior est conditio innocentis, tenetur falsus testis retractare, etiam cum periculo vitæ, si spes sit eum qui falsò accusatus est, ab iniqua morte ea via liberandum. Dico scienter, &c. nam si, inculpabiliter falsò testetur, non tenetur ad restitutionem damni securi.

Sed quid, si nolit testari? Respondeo 1. eum qui non se offert vt testetur, quando id necessarium est, ad liberandum innocentem, peccare quidem per se loquendo contra charitatem, non tamen contra iustitiam, adeoque non obligari ad restitutionem. 2. eum qui cum sit legitime interrogatus, fraude declinat actum testificandi, teneri ad restitutionem damni secuti: quia tunc tenetur ex iustitia, falsò accusatam suo testimonio indemnem reddere.

Porro quia integritas virginalis inter bona corporis numerari solet: Quæri hic potest, ad quid teneatur, qui virginem constuprauit. Respondeo 1. si virgo liberè consentiat, eaque sit extra curam parentum, deflorantem ad nihil teneri, quia volenti non fit iniuria. Si verò sit sub cura parentum, eum teneri erga parentes, ad restitutionem damni inde secuti, nisi

etiam ipsi in stuprum consenserint. 2. si virgo vi. aut fraude fuit deflorata, corruptorem teneri ad contrahendum cum ea matrimonium, etsi non promiserit; vel ad restituenda omnia damna, quæ ex defloratione sequuntur. Quid autem factu opus sit, quando quis sub promissione matrimonij, virginem defloravit, habes in Idea Theologiæ Sacramentalis, cap. 37.

Quæri etiam potest, ad quid teneatur qui adulterium, cum vxore alterius commisit. Respondeo 1. si id factum sit sine mariti iniuria, quia nesciuit, & sine damno filiorum legitimorum, quia partus nõ est secutus, adulterum ad nullam satisfactionem, aut compensationem teneri. 2. si proles ex adulterio nata sit, adulterum teneri ad eam alendam, à tertio post natiuitatem anno; & ad restitutionem bonorum, quæ illi ex communi hæreditate, tanquam proli legitimæ obueniunt. Quia per iniustitiam causa est, quòd filij legitimi ea portione iis debita priuentur.

CONCLUSIO II. Qui proximum læsit in bonis famæ, & honoris, tenetur ad restitutionem.) Priusquam hoc probetur, Notandum 1. ex S. Doctore 2. 2. quæst. 73. art. 1. detractionem, quæ nihil est aliud quàm alienæ famæ, per occulta verba denigratio, dupliciter dif-

DE IVSTITIA. CAP. VI. 139

ferre à contumelia ; primò quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè. Secundò quantum ad finem intentum, siue quantum ad nocumentum illatum, quia contumeliosus in aliquem, eum parvipendit, adeoque derogat illius honori; detractor verò eum, contra quem verba profert in occulto, videtur vereri magis quàm parvipendere ; ac proinde non derogat directè illius honori, sed famæ, quatenus conatur ingenerare aliis malam opinionem de illo.

Notandum 2. ex respons. ad 3. aliquem dici detrahere de aliquo, non quia diminuit de veritate, sed quia diminuit famam eius : idque aut directè. aut indirectè. Directè quidem quadrupliciter, 1. quando falsum imponit alteri, 2. quando peccatum auget suis verbis, 3. quando occultum reuelat, 4. quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.

Notandum 3. ex art. 2. detractionem per se loquendo esse peccatum mortale, eo quòd fama inter res temporales videtur pretiosior. Non tamen esse pecca-

tum, aut detractionem, ex causa aliqua necessaria proferre verba, per quæ fama alterius læditur, seruatibus debitis circumstantiis. Ea verò proferre ex leuitate, non esse peccatum mortale, nisi verbum quod dicitur sit adeò graue, vt notabiliter famam alterius lædat, & præsertim in his quæ ad honestatem vitæ pertinent.

Quibus prænotatis, quòd famæ restitutio facienda sit, tradit idem S. Doctor 2.2. quæst. 62. art. 2. ad 2. his verbis. Dicendum quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre, vno modo verū dicendo & iustè, puta cùm aliquis crimen alicuius prodit, ordine debito seruato; & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & iniustè, & tunc tenetur restituere famam, cōfitendo se falsū dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed iniustè, puta cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum; & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen; vt pote quòd dicat se malè dixisse, vel quòd iniustè eum diffamauerit. Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est. Ita ille.

His autem maioris explicationis gratia, nonnulla addenda sunt. 1. non esse

DE IVSTITIA. CAP. VI. 141
obligationem restituendi, saltem ordina-
riè, nisi detractio sit de re graui. 2. non
sufficere qualecunque peccatum graue,
nisi tale sit, vt per illud proximus infametur.
Vnde non est obligatio restituendi, si quis dicat militem fornicatum esse,
aut prouocasse ad duellum; quia his vitiis non grauiter læditur fama eiusmodi
hominum 3. non esse obligationem restituendi, si crimen hîc detectum alibi sit
publicum, vel notoreitate iuris, vel notoreitate facti, vel ita vt fama illius ex
sufficientibus indiciis orta, peruenerit ad
maiorè partem ciuitatis, aut pagi, &c.
adeoque dicatur famosum. Tunc enim
peccatum manifestans, non peccat contra
iustitiam, cum delinquens amiserit
ius ad famam, eo ipso quòd illius crimen
aliquo ex dictis modis sit publicum. 4.
eum non teneri ad restitutionem, qui re-
fert peccatum publicum, propter quod
Paulus fuit aliàs infamatus; etsi postea
resipuerit, & bonis actibus famam acqui-
sierit. Licet enim eiusmodi relatio re-
pugnet charitati, non tamen iustitiæ, mo-
do referens non indicet Paulum, etiam
nunc esse infamem. 5. eum qui peccatum
proximi occultum reuelauit nonnullis,
quos probabiliter existimabat idem pec-
catum aliis manifestaturos, teneri ad re-

1142 TRACTATUS

stitutionem famæ, apud omnes, idque vel
 per se, vel per alium: quia sic censetur
 causa efficax totius infamiæ. Secus si ille
 cui reuelauit erat vir prudens, & secretum
 probabiliter seruaturus erat; quia quod
 talis crimen vulgauerit, est omnino ca-
 suale respectu primi reuelantis. 6. esse
 peccatum mortale contra iustitiam, adeo-
 que inferens obligationem restituendi,
 infamatum in vno peccati genere, infa-
 mare in alio, quod non habet connexio-
 nem cum illo; vt si dicas Titium, qui
 iam propter adulterium infamatus est,
 malè sentire de rebus fidei. Quia etsi
 famam amiserit quoad priorem materiã,
 non tamen quoad posteriorem, adeoque
 non potest illa priuari sine iniustitia. 7.
 cum qui simpliciter, & absque asseuera-
 tione peccata alterius audita refert, non
 peccare mortaliter, nec teneri ad restitui-
 tionem, si prudenter existimet alios non
 credituros. Secus si ita referat, vt meri-
 to alij credere possint, vera esse quæ dicit,
 aut etiam graue aliquod malum de pro-
 ximo suspicari. 8. cum qui detrahentem
 audit, & de detractione delectatur, pec-
 care contra charitatem; & si præterea ei
 non resistat, cum possit, & teneatur, pec-
 care etiam contra iustitiam, proindeque
 teneri ad restitutionem famæ. 9. Resti-

tutionem ita faciendam esse, ut qui aliquem falsum dicendo infamavit, honorificè loquatur de eo, de quo detraxit; idque in eadem materia, & coram iis qui eum detrahentem audierant. Qui verò ab aliis audita retulit, dicat se leuiter retulisse, aut huiusmodi rumoribus fidem non esse adhibendam. 10. obligationem restituendi cessare, tum si infamatus remittat, modo infamia non redundet in alios; tum si quis longè inferiorem infamavit, nec possit restituere sine iactura propriæ famæ: sufficit enim quòd infamatum laudet, aut iniuriam pecunia compenset; tum si infamatus, alia via famam recuperavit, aut diuturnitate temporis infamia extincta sit: tum si ille quem infamasti, te vicissim in simili materia infamet: in hoc enim datur compensatio, modo seruetur æqualitas.

Ex his autem collige 1. restituendum esse honorem, siue per contumeliam, siue per derisionem ablatum; idque non modo apud illum cui honor ablatum est, sed etiam apud alios, coram quibus illius honor violatus fuit. 2. consurgere etiam obligationem restituendi ex susurratione, quæ tendit ad seminandas discordias inter amicos; hoc enim peccatum infert

graze damaum contra iustitiam, eoque peius est detractio, & contumelia, quam amicitia quam conatur dissolvere, est præstantior fama, & honore. 3. Non tamen esse obligationem restituendi præcisè, ob iudicium temerarium; quo quis sine sufficienti fundamento malè iudicat de proximo in re graui: licet enim hoc sit peccatum mortale ex genere suo, cum tamen sit internum, non magis obligat ad restitutionem, quàm voluntas firandi, quæ non coniuncta est cum furto actuali externo.

CONCLUSIO III. Qui proximum læsit in bonis fortunæ per furtum, tenetur ad restitutionem.) De hac re factis constat ex dictis in hoc, & in præcedenti capite. Hic tantum quædam obseruanda sunt pro praxi. 1. eum qui notabilem quantitatem furatus est, teneri sub peccato mortali ad restitutionem. 2. rem furto ablatam restituendam esse, si extat; aut si non extat, æquiualeuter compensandam. Nisi opportunè antequam perierit, domino esset oblata, aut similiter apud dominum peritura fuisset. 3. rem furto ablatam, etsi sit ameliorata, restituendam esse, subductis tamen, saltem in foro conscientiæ, expensis quæ in domini utilitatem factæ sunt 4. furem obligari

obligari ad compensationem totius damni ex furto emergentis, & lucri cessantis. 5. obligationem restituendi transire ad hæredes furis, ita vt singuli teneantur pro rata hæreditatis, esto aliqui pro sua parte non restituant. 6. etsi speculatiuè loquendo probabile sit, eum qui modica furando, paulatim peruenit ad notabilem quantitatem, obligari sub mortali ad restitutionem: In praxi tamen non facilè iudicandum, talem obligationem vrgere, cum plerumque ignorantia, aut bona fides hac in re excuset; & ex variis circumstantiis conici possit, dominum non esse rationabiliter inuitum, aut eiusmodi furta condonare. Quare probabile est, non esse iniungendam restitutionem, nisi poenitens minima furatus esset, ex intentione perueniendi tandem ad summam notabilem; aut omnia furta haberent aliqua ratione modum vnius, vt fit dum mercatores falsis ponderibus, aut mensuris merces distrahunt.

Quæres I. an fraudantes vectigalia & gabellas, à Principibus iustè impostas, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. Responsio quorundam distinguit inter res quæ aduehuntur causa negotiationis, & illas quæ sunt
de Iust. G

necessariæ ad usum familiæ: vultque gabellas impositas supra res prioris generis, ex iustitia soluendas esse, non autem impositas supra res posterioris generis. Verùm cum subditi in graui necessitate teneantur, non modo bona temporalia, sed ipsam quoque vitam pro bono cõmuni exponere, nulla ratio est, cur non possint vectigalia legitimè imponi, super iis rebus quæ ad usum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur; si ea quæ ex aliis rebus sumuntur; publicis necessitatibus non sufficiant.

Quæres 2. an restituenda sint acquisita per ludum S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2. duo tradit huc spectantia. Primò, ex iure diuino eum teneri ad restitutionem, qui per aleas aliquid acquisiuit, siue ab iis qui rem suam alienare non possunt, quales sunt minores, furiosi, & similes: siue ab iis quos ex cupiditate lucrandi, traxit ad ludum: siue ab iis à quibus aliquid per fraudes, inter ludendam adhibitas, lucratus est.

Secundò ait, eos qui ludo lege humana prohibito, aliquid lucrantur, teneri ad restitutionem, si eiusmodi legibus sint subiecti; nisi fortè contraria consuetudo præualeat, aut nisi quis lu-

eratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludum: tunc enim non tenetur restituere, quia qui amisit, non meretur recipere; nec etiam licite retinere potest, tali iure positivo durante. Vnde sic acquisitum in eleemosynas erogare debet.

Verum circa prius dictum S. Thomæ, Observandum 1. si pupillus, & minor solvant quod per ludum amiserunt, posse collusorem tuta conscientia acceptum retinere, donec in iudicio repetatur. 2. eum teneri ad restitutionem, qui aliquid lucratus est ab eo, quem vi aut graui metu impulit ad ludendum, non autem si tantum precibus ad hoc eum induxit; quia priori modo res per iniuriam acquiritur, non posteriori. 3. non teneri ad restitutionem eum, qui inter ludendum vitur fraudibus, quas ipsimet ludentes sciunt communiter adhiberi, quia tunc nulli fit iniuria: secus verò si quis lucretur per fraudes non consue-
tas, aut collusori ignotas. Vnde fraudator tenetur non solum restituere quod lucratus est, sed etiam ex suo tribuere, quicquid alter lucratus esset, si fraus defuisset. Tenetur etiam restituere, qui cum longè maiorem in ludo peritiam habeat, fingit se minùs peritum, vt ea arte simplices, qui aliàs

lufissēt ad ludendū inducat. Quia quod per ludū cui fraus seu dolus dat causā, acquiritur, per iniuriā censetur acquiri, adeoque obnoxium est restitutioni.

Circa posterius dictū, Nota 1. ex multorum sentētia, eū qui credita pecunia, aliquid perdidit ludo lege humana vetito, non teneri in foro consciētiae, illud soluere: quia cū ius Cæsareū concedat victo, si soluerit, ius repetendi, eo ipso illum eximit obligatione soluendi, Nec refert, quòd ex iure ipso naturæ, teneamur stare promissis: hoc enim verū est, nisi superior potestas det facultatem, eiusmodi promissa non implendi.

Nota 2. etsi victor non possit rem, quam per ludum prædictum lucratus est, extorquere, si victus eam soluere renuat, posse tamen eam exigere & illius dominium acquirere, si ipsi solvatur; ac proinde non teneri ad restitutionem ante sententiam Iudicis. Ius enim positivum non irritat contractum ludi, esto quæ per illum deperduntur, repetendi facultatem concedat. Verū hæc de restitutione, atque ad eò de tota Theologia Morali dicta sufficiant.